

membris priuauit. Zoën matrem fingens sibi ab ea paratas infidias, & venenum positum palatio inauditam exegit, eamque detonsam indutamque Monastico habitu in insulam relegauit. Quod cum indignissimè omnes ferrent, vniuersaque plebe in seditionem versa, Zoën restituere coactus est. Ipse fugiens cum Constantino fratre, à turba captus & oculorum vsu, familiari Græcis pœna, priuatus est, atque in exilio periit, Mensibus IIII. dies v. rerum potitus.

Moneta hæc ex altero latere continet imaginem Saluatoris manibus librum ferentis, vtrinque his characteribus additis:  $\overline{I} \overline{G} \overline{M} \overline{C}$



Z O E filia Constantini Imperatoris, & Romani Argyri vxor, foemina falacissima, viuente marito cum Michaële consuetudinem habuit, ac maritum Romanum dolo in balneis suffocauit, Michaëlem ad Imperium prouexit, sibi que matrimonio copulauit, & Michaëlem Calaphatem Imperio adoptauit, à quo postea, detonsa, & Monastico vestitu induta, in exilium relegata est. Sed paulò post populi conspiratione restituta, cum sorore Theodora Imperium administrauit. Cæterum, vt varium & mutabile genus semper est foemina, Zoë adhuc ardens libidine, persuasa vt virum ascisceret, multis antea fastiditis Constantinum Monomachum ab exilio reuocatum, virum sibi adiunxit, & Imperatorem pronuntiauit. Cùmque annum ageret L X X. decelsit, quam Constantinus effoeminate planxit.

Corona aurea in cuius medio est imago Crucis in huius Numismatis parte posteriore conspicitur, sine inscriptione vlla.

CONST